

4  
ORATIONEM

QVA

CVLPIANDVSNE SIT  
PRAETOR ROMANVS  
QVOD VERIS RATIONIBVS  
DISSIMVLATIS, FICTIONIBVS ALIISQVE  
COLORIBVS VSVS SIT IN CORRIGENDO  
IVRE ANTIQVO?

DISQVIRENS

PROFESSIONEM IVRIS  
ORDINARIAM

*Tit. Dig. de Verb. Signif. et Diuers. Reg. Iur. Antiq.*

IN

ACADEMIA LIPSIENSI  
REGIA AVCTORITATE GRATIOSISSIME  
SIBI DEMANDATAM

SOLLEMNITER AVSPICABITVR

INSTANTE DIE VENERIS

QVI EST VII. KAL. IVLII c1o Idcc XXXIV.

INDICIT

INSIMVLQVE

AN DECEAT ICTVM RATIONES  
LEGVM IGNORARE?

EXAMINAT

FERDINAND. AVGVST. HOMMEL,

AVGVST. ET IV. D. HACTENVS IN SCAB. EL. LIPS. ASSESSOR SVBSTIT.  
NVNC AD PVBLICVM DOCENDI MVNVS INDE EVOCATVS.

Diss. jur. civ.

201,6.

ORATIONEM

QVA

CVLPANDVSINE SIT

PRÆTOR ROMANVS

QVOD VERIS RATIONIBVS

DISCIMVLTIS FICTIOIBVS ALIBVS

COLORIBVS SIT CORRIGENDO

DISCIPULVS

PTOFESSIOINEMIVRIS

ORDINARIA

ACADEMIA ILLVSTRI

RECTORIALE

INSTITVTVS

QVOD SIT

AN DIEBAT

IN

FERDINANDVS

AVGVSTVS

AVGVSTVS



**O**mnis quae a Icto suscipitur legum interpretatio vel Grammatica est vel Logica, Illa inquit in sensum verborum litteralem, quae lectio alteri sit praefenda diiudicat, quis proprius verborum sit significatus indagat, logica ex probabilibus coniecturis a verborum proprietate recedens, litteralem legis sensum vel extendit vel restringit, ad casus in ipsa lege haud expressos, sicut igitur interpretationis grammaticae subsidia e studio critico desumenda, ita logicae interpretationis potissimum fundamentum consistit in legis ratione, quae si laxior est verbis, extensiuam, si strictior restrictiuam subministrat interpretationem. Intelligitur inde, Iurium interpreti legum rationes non minus curae esse debere quam earum verba. Memorialis legum scientia Ictis cum vulgo communis est, leges enim cognosci debent ab omnibus quia omnibus latae sunt, ast iudiciosa veritatis per fines et causas cognitio sicut in quouis doctrinae genere Eruditis propria est, ita et Iuris scientia per rationes Ictum distinguit a vulgo. Minime ergo memoriali legum scientia contentus sit legum interpretes, haec enim cognitio plebis est, sed rationes tanquam animam legum peruestiget, atque inquirat in causas quae Principem ad legem aliquam ferendam commouerunt, CELSUM audi in

*l. 17. D. de LL. Scire leges, inquit, non est verba earum tenere, sed vim et potestatem. Leges praescribuntur ab Imperante, ergo interpretari debent secundum illius mentem, non contra intentionem legislatoris applicari, ne eueniat effectus voluntati et exspectationi eius contrarius. Non enim, vt PAVLVS loquitur in l. 19. D. ad exhibend. oportet ius ciuile calumniari, neque verba captari, sed qua mente quid dicatur animaduertere conuenit. Quod si ergo ratio legis generalior esse intelligatur litterali eius sensui, dispositio iuris etiam ad casus in ipsa lege non expressos quandoque recte extenditur ob praesumptam legislatoris voluntatem, e contra si ratio legis casibus quibusdam secundum sensum litteralem sub lege comprehensis conuenire non videatur, verba textus ita restringenda, vt legis rationi et praesumptae legislatoris intentioni omni ex parte satisfiat. Nam, vt ait PEDIVS, quotiens Lege aliquid vnum vel alterum introductum est, bona occasio est cetera, quae tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel certe iurisdictione suppleri. l. 13. D. de LL. Neque enim leges neque SCta ita scribi possunt, vt omnes Casus qui quandoque inciderint, comprehendantur, sed sufficit et ea quae plerumque accidunt contineri vt IULIANVS loquitur in l. 10. D. eod. seu vt idem ait ICTUS in l. 12. D. dict. Tit. Non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus aut SCtis*  
SA  
compre-

*comprehendi, sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni praest ad similia procedere atque ita ius dicere debet. Et haec est interpretatio per aequitatem ut vocant. Nam quae in aequitate consistunt, non sensualiter ubique determinari possunt in legibus, sed semper est aliquid relinquendum arbitrio iudicantium. HINC SCAEVOLA in l. 14. Pr. D. de Diuers. et tempor. praescript. de iis quae in aequitate consistunt nihil perpetuum neque generaliter definiri posse asserit, indeque locum saepe habet illud PAVLI: Haec aequitas suggerit, etsi iure deficiamus, l. 2. §. 5. in fin. D. de aqua et aqua pluui. arcend. Exemplum huiuscemodi interpretationis extensiuae reperio in l. 32. pr. D. ad L. Aquil. Illud quaesitum est, an quod Proconsul in furto obseruat, quod a familia factum sit. (id est, ut non in singulos detur poenae persecutio, sed sufficeret id praestari, quod praestandum foret, si id furtum vnus liber fecisset) debeat et in actione damni iniuriae obseruari. Sed magis visum est, idem esse obseruandum, et merito, cum enim circa furti actionem haec ratio sit, ne ex vno delicto tota familia dominus careat: eaque ratio similiter et in actionem damni iniuriae interueniat, sequitur, ut idem debeat aestimari, praesertim cum interdum leuior sit haec causa delicti: veluti si culpa, et non dolo, damnum daretur. simile est in l. 7. D. de Iurisdictione. Restrictiuae*

interpretationis exemplum vide sis in *l. 2. §. 3. D. ad SCtum Vellei*. An igitur culpandus est NERATIVS, qui *l. 21. D. de LL. Rationes eorum*, inquit, *quae constituuntur inquiri non oportet, alioquin multa ex his quae certa sunt subuertuntur?* Ita videtur plerisque quorum alii ignorantia sanioris Philosophiae eum lapsum fuisse contendunt, alii nescio quem sensum a proprietate verborum penitus recedentem ipsi affingere malunt. Sed vereor ne iniuria hic vapulet ICTUS, licet enim vt generaliter regula citatae *l. 21.* accipi debeat auctor esse nolim, habet vtique rationum inuestigatio in legibus interpretandis commoda haud exigua, non contendo; attamen quod rationes legum interdum etiam nullum in interpretandis iuribus adferant adiuumentum, adeoque citra detrimentum a ICTO quandoque negligentur, docebunt subsequencia. Vt Interpretationi extensivae aut restrictivae, cui inseruit rationum inuestigatio, locus sit, requiritur vt lex quodammodo obscura sit, incerta, aut dubia, ita vt sensum plusquam vnum admittat, quotiescunque vero sensus legis litteralis perspicuus est, et certus, nullaeque dubitationi subiacet, toties cessat interpretis officium, nec ratio legis eiusque peruestigatio adfert aliquid utilitatis. Non recurrendum est ad voluntatem legislatoris praesumptam per extensionem aut restrictionem legis eruendam quoties adest voluntas certa verbis expressis aperte declarata. Legem interpretari est

est eius ambiguitatem regere, secundum Legislatoris mentem, at aequitatem legi inducere contra eius verba clara et mentem Imperantis, non est interpretari legem, sed aliam facere. Vid. NOODT in *Comment. ad Tit. Dig. de LL.* Sic v. c. Obligantur liberis ad certam post fata portionem relinquendam Parentes, haud dubie quod quorum vitae causa sunt, ad eorum quoque conseruationem et educationem quantum possunt conferant, inde debitum naturale dicitur legitima liberorum in *l. 36. §. 2. C. de inoff. test. l. 7. §. 1. D. si tab. test. null. exstat.* et debita successio in *l. 7. pr. D. de bon. damn.* it. legitima haereditas in *l. 11. D. de suis et legib. haered.* Quis vero credat restringendam propterea liberorum legitimam ad eum saltim casum si liberi nondum sint educati, adeoque non deberi hanc portionem liberis adultis, et qui eius sunt aetatis vt victum sibimet ipsis quaerere possint, multo minus iis quibus diuitiarum affatim est, aut qui moribus adeo deprauatis, vt intelligant parentes bona sua immodico eorum affectui inseruientia ipsis futura potius esse damno-  
sa, cum clara exstet et generalis dispositio in *Nov. 115. Cap. 3.* non licere patri vel matri liberos suos praeterire in suo testamento aut exhaeredes facere, nisi ob ingratitudinem, et certis ex causis in cit. cap. 3. speciatim determinatis. Omne haud felici-  
iori extendere mihi videntur Doctores sanctionem Legis *2. C. de Rescind. Vend.* ad locationem condu-  
ctionem,

tionem, permutationem, transactionem, contractum feudalem, aliosque huius generis similes, quos singulos ob parem in omnibus aequitatis rationem, et ne alter alterius damno locupletetur, rescindendos putant ob laesionem enormissimam. Enimuero aut omnia me fallunt, aut mirum quantum falluntur Interpretes (quoad Saxoniam tamen vid. P. II. Const. El. 34.) De venditione expresse tantum loquitur cit. l. 2. nulla mentione facta aliorum contractuum, quotiescunque vero adest clara legis dispositio, toties exulare debet extensio aut restrictio interpretum litterali legis sensui repugnans, ut aequitas vel legis ratio eam suadere videatur, ratio namque legis non est lex ipsa, et leges non sunt quae velle legislator aut debuit aut potuit, sed quae se velle verbis expressit et manifestavit. Caueas tamen ne rigore nimis dicta obserues in explicandis legibus Codicis, in his enim extendendis quodammodo laxior esse videtur potestas Icti. Non sunt textus Codicis sanctiones generales, sed rescripta ad casus speciales in libellis subditorum oblata, in his ergo non sunt nimium captanda verba, nec litterarum sensui stricte nimis inhaerendum. De certo casu tantum respondent Imperatores, de casibus aliis maxime similibus tacent, non quod de iis rescripta sua non aequae intellecta velint, sed quod de iis interrogati non sint, idem haud dubie de casibus aequalibus rescripturi si de iis pariter fuif-



fuiſſent conſulti. Exemplum rurfus praebet *lex 2. C. de Reſcind. Vend.* *Rem maioris pretii* inquiunt Imperatores Diocletianus et Maximianus *ſi tu vel pater tuus minoris diſtraxerit, ut vel pretium te reſtituente emtoribus fundum venundatum recipias auctoritate iudicis intercedente, vel ſi emtor elegerit, quod deeſt iuſto pretio recipias.* De fundo vendito tantum loquuntur, item de caſu, ſi tu vel pater tuus eum diſtraxerit, ecquis vero neget ad aedes, item ad res mobiles venditas ſanctionem legis aequae pertinere, aut ad caſum ſi mater tua, vel frater, vel quicumque alius cuius haeres factus es rem minori pretio vendiderit? Non ſilerent haud dubie de caſibus iſtis Imperatores, ſi a Lupo, ad cuius conſultationem in dicta lege reſpondent, de iis fuiſſent quaefiti. Sed ut eo redeam, unde digreſſus ſum, quam fallax interdum ſit argumentum a ratione legis peti- tum exinde quoque intelligitur, quod ſaepius ceſſante licet quae legem introduxit ratione, lex ipſa tamen ſuam adhuc retineat auctoritatem. Non igitur va- let conſequentia: caſus ceſſat quae originem dedit legi, ergo quoque lex ipſa ſuum amittit valorem. Extat in contrarium exemplum plus quam vnum. Filius fam. teſtari non poteſt, *pr. 3. Quib. non eſt penn. fac. teſt.* ne quidem patre conſentiente *l. 6. pr. D. Qui teſtam. fac. poſſ.* Ratio huius prohibi- tionis non eſt alia, quam quae ſuppeditatur, ab VLPIANO *Fragm. Tit. XX. §. 10. Quoniam fi-*  
B *lius*

*lius fam. nihil suum habet ut testari de eo possit.* Cessat haec causa hodie, postquam pedetentim alia atque alia bona sub Imperatoribus parentum potestati fuere subtrahata, filiisque familias non solum peculia castrensia et quasi castrensia item aduentitia regularia, sed potissimum quoque irregularia, de quibus pleno iure de cetero disponunt, sunt concessa, et nihilominus remanet adhuc rigor iuris antiqui, filiorumque fam. testamenta inualida sunt etiam moribus hodiernis, nisi quatenus de castrensibus vel quasi castrensibus disponunt, quorum intuitu pro Patribus fam. habentur. Vid. SCHILTER. *ad Pandect. Exercit. 38. §. 17.* BERG. *Oecon. Iur. L. II. T. IV. §. 10.* MENCK. *in Tract. Synopt. Inst. ad Tit. Quib. non est penn. fac. test.* HOPP. *in usu hod. ad pr. Inst. cit. tit.* STRYCK. *in Vsu Mod. ad Tit. Qui test. fac. poss. §. 5. seqq.* Quare prodigus testamentum facere non possit, rationem reddit idem VLPPIANVS *cit. Tit. XX. §. 13.* Quia familiam mancipare non potest. Dudum in defuetudinem abierunt quae aere et libra per sollemnem mancipationem fiebant testamenta, nec tamen hodie prodigi vltima voluntas subsistit. vid. STRYCK. *in Vsu Mod. tit. D. Qui test. fac. poss. §. 12.* Favor πολυπαιδίας qui magnus olim erat pro ratione istorum temporum apud Romanos introduxit peculiarem excusationis speciem a tutela. Hodie Reipublicae oneri saepe est hominum multitudo,  
ita

ita vt apud nos cessare videatur dictus fauor, et nihilominus aequae ac olim excusat ab onere tutelae numerus liberorum, teste MENCCKENIO *in Vsu Theoret. Pract. Inst. Tit. de Excus. Tutor. §. 4.* Arrogatio olim fieri debebat coram populo Romano in comitiis, quia arrogati sperabant haereditatem, de haereditate autem in alios transferenda solus cognoscebat Populus in comitiis. Vid. Celeb. HEINECCIUS *Antiq. Rom. Lib. I. Tit. XI. §. 6.* Haereditates per Populum in comitiis transferri desierunt latis XII. Tab. LL. *conf. Dissert. nostr. de scriptura eiusque necessitate in testam. nuncup. §. 9.* et tamen arrogationes in comitiis adhuc fiebant sub Imperatoribus. Vid. cit. DN. HEINECC. *dict. loc. §. 13.* Fratres vterini querelam inofficiosi non habent quia sunt cognati, successio enim legitima de iure veteri solius agnationis rationem habebat, differentia postmodum inter agnatos et cognatos a Iustiniano sublata per *Nov. 118.*, remansit tamen antiqui iuris consuetudinarium, et fratres vterini ad querelam nec hodie admittuntur, vti plerique Doctorum sentiunt, et respondit Facult. Iurid. Lips. M. Octob. 1706. teste MENCCK. *in Vsu Theoret. Pract. Inst. tit. de Inoff. test. §. 3.* Ad unionem prolium moribus antiquis desideratur consensus agnatorum, haud dubie quod veteres testamentorum ignari futuram successionem proximis agnatis inuitis ipsis adimere non possent. Cessat haec ratio hodie, postquam introducto iure

Romano liberrima testandi potestas Germanis fuit concessa, et nihilominus secundum statuta plerorumque locorum consensus agnatorum in pariatio-  
ne prolium adhuc necessarius est. Plura adderem exempla potissimum e materia testamentorum item emancipationum et adoptionum, quae olim per imaginarias venditiones et manumissiones fieri consueuerant, nisi ex dictis iam abunde constaret quam eueniat saepe, ut rationes legum in iuribus interpretandis nullum adferant adiuumentum, indeque tuto ignorari possint a Iurisperito. Praeterea quam caute instituenda sit interpretatio a causa legis desumpta, et quantum expediat aliquando legum rationes negligere, docent quoque inadaequatae rationes quibus multoties utuntur legislatores potissimum Romani, his enim si innitaris tanquam interpretandi genuinis fundamentis, vereor ne nubem pro Iunone amplectaris, et confectaria tibi gignantur oeconomiae Iuris penitus repugnantia. Exemplum rationis commentitiae praebet *pr. §. de Milit. Test.* ubi causa concessi militibus priuilegii, quod absque sollemnitate valide testentur, esse perhibetur imperitia legum. Haec vera si esset, milites etiam extra castra et expeditionem in praesidiis atque hibernis, quippe in quibus nihilo peritiores sunt, eodem iure ordinarent vltimam voluntatem, quod tamen contra textum expressum in *§. 3. §. eiusdem tituli.* Igitur causa huius concessi militibus priuilegii

gii

gii vix est alia, quam vitae discrimen et iusta occupatio armorum, propter quam in expeditionibus constitutis septem conuocare testes habiles, eos sollemniter rogare, ceteramque Romanorum in condendis testamentis miseram diligentiam ad amissum obseruare ipsis haud est integrum. Conf. STRYCK *de Caut. Testam. Cap. IX. §. 1.* HUBER *Praelect. ad Inst. Tit. de Milit. Test. §. 3.* Partum ancillae esse in fructu Tribonianus negat §. 37. *J. d. R. D.* rationem addit: quod homo non possit esse in fructu hominis iung: quoque VLPIANVS in *l. 68. pr. D. de usufructu*, quae ratio cerebrina iterum est, quippe secundum quam partus ancillae nec foret in dominio hominis, dominio enim usufructus inest, qui a Doctoribus dicitur causalis. Simile exemplum est in *l. 14. pr. D. de Seruit.* Plura vid. apud THOMAS. *Dissertat. de rite formand. stat. Contr. An legum Iuris Iustiniani sit frequens an exiguus usus pract. in for. Germ. §. 37.* Deinde accidit aliquando vt Legislatores veras legum rationes ex regulis prudentiae studio occultent colores praetextentes et rationes prorsus fictitias, cum expediat interdum veras legum rationes a subditis ignorari. Vsi sunt hoc artificio potissimum Praetores Romani, qui cum directo ipsis ius antiquum corrigere non liceret, restitutiones dabant contra ius strictum, item exceptiones, nomina mutabant, fingebant, similesque colores praetexebant, qua de re explicatius

tius dicam oratione auspicali propediem. Sicuti autem falsas interdum ita quandoque nullas plane rationes reddunt Legislatores, et nihilominus sanctiones ita promulgatae legis habent vigorem. Obligantur quidem Imperantes leges ferre iustas et prudentes, rationes autem iustitiae et prudentiae subditis reddere non tenentur, legibus obtemperandum, licet earum nulla reddi possit ratio, cum stet pro ratione voluntas. Imo si Senecam audias, rationes legibus admisceri omnino non debent, cum iubeant non doceant. *Legem, inquit, breuem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, vel ut emissã diuinitus vox sit. Iubeat non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius quam lex cum prologo. Mone, dic quid me velis fecisse, non disco, sed pareo. Epist. 94.* Denique contingit saepe ut ratio legis reddi omnino non possit, id quod euenire solet quoties de mere arbitrariis disponitur. V. c. cur furtum magnum suspensio puniatur, liberis certa portio post fata legitimae loco relinquatur, usucapioni certa praestituta sint tempora, ratio obscura esse nequit. Ast, quare quantitas quinque aureorum praecise, non plus aut minus ad vltimum supplicium in crimine furti requiratur, cur trientem in specie vel semissem legitimae loco liberi consequi debeant, quamobrem in praescriptione mobilium annus 6. sept. et 3. dies, immobilium vero 31. anni 6. sept. et 3. dies

dies apud Saxones desiderentur, cum res sit meri arbitrii, nulla afferri potest adaequata causa. Quotiescunque igitur vera legis ratio vel ex destinato a legislatore occultatur, vel explicari omnino nequit, toties cessat denuo interpretatio quae a causis legum desumitur, et frustranea est rationum legis peruestigatio. Haec sunt B. L. quae mihi interpretationem legum haud ita pridem gratiosissime demandatam meditati venere in mentem. Scil. publice iura docendi prouinciam nuperrime mihi imposuit, Professionemque iuris ordinariam Tit. D. de V. S. et diuers. Regulis iuris antiq. quam ex Academia in aulam discedens vacuam reliquit Vir Amplissimus Dominus CAROLVS GVILIELMVS GAERTNERVS, Antecessor prius in hac Vniuersitate longe celeberrimus, nunc in summo Prouocationum Senatu Confiliarius Regius, mihi clementissime delegauit Augustissimus atque Potentissimus

Dominus, Dominus **FRIDERICVS  
AVGVSTVS II.** *Poloniarum Rex,  
Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Ma-  
zouiae, Samogitiae, Kyouiae, Volhyniae, Podo-  
liae, Podlachiae, Liuoniae, Smolenskiae, Seueriae,  
et Czernicouiae etc. Dux Saxoniae, Iuliae, Cli-  
uiae, Montium, Angriae et Westphaliae, Sacr.  
Rom.*

*Rom. Imperii Archi-Mareschallus et Elector,  
Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, Su-  
perioris inferiorisque Lusatiae, Burggravius  
Magdeburgi, Comes Principalis Hennebergicus,  
Comes Marcae, Rauensbergi et Barbyae, Dy-  
nasta in Rauenstein etc. etc. Dominus meus lon-  
ge Clementissimus.* Quod munus gratiosissime  
mihi demandatum oratione sollempni qua disqui-  
ram: *Culpandusne sit Praetor Romanus quod ge-  
nuinas rationes occultans fictionibus aliisque co-  
loribus usus sit in corrigendo iure antiquo, e ca-  
thedra Iureconsultorum publice recitandam more  
maiorum inauguro.* Destinavit huic actui Ill.  
ICtorum ordo instantem diem Mercurii, qui est Prid.  
Kal. Iulii. Eum igitur vt MAGNIFICVS ACADE-  
MIAE RECTOR, ILLUSTRISSIMI S.R.I. COMITES,  
ACADEMIAE ET CIVITATIS PROCERES GRA-  
VISSIMI, CIVES DENIQUE AC HOSPITES ALMAE  
NOSTRAE GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE  
praesentia sua splendidiorum reddere ne dedi-  
gnentur, ea qua par est obseruantia et comitate  
rogo. Dab. Lips. Die Dom. I. post Trinit.  
clō lōcc XXXIV.

---

*LIPSIAE*

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.